Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM EX IURE NATURAE

AN LICEAT BRUTORUM CORPORA MUTILARE

ET SPECIATIM

Ob es recht ſey/ daß man den Hunden die Ohren abſchneide?

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTUNT

PRAESES

M. SIGISMUNDUS IACOBUS APINUS
ALUMNORUM NORICORUM ET OECONOMIAE INSPECTOR

ET

RESPONDENS

IOHANNES CAROLUS LOTHER
NORIBERGENSIS
PHILOS. ET THEOL. STUDIOSUS.

AD D. XVII. IUNII A. O. R. MDCCXX.

ALTORPHII NORICORUM
LITERIS IOD. GUIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

Digitized by Google

Digitized by Google

A. J. A.

§. I.

Homo non ſolum caeteris animalibus praeſtat, verum etiam iisdem dominatur.

§. II.

Hoc Dominium in bruta DEVS homini in creatione contulit Geneſ. I, 26, voce uſus רדה, quam alias per τὸ *dominari* reddimus. a)

§. III.

Sicuti vero homo proh dolor! non in eo, quo fuit creatus, felicitatis & perfectionis ſtatu permanſit; ita ſecundum duplicem hominis ſtatum dominium in bruta dupliciter poterit conſiderari, vel *quale fuerit in ſtatu perfectionis & ante lapſum*, vel *quale nunc ſit in ſtatu corrupto & poſt lapſum.*

a) Voluerunt nonnulli ex ipſa conſeruatione & indigentia hominum dominium in naturam inferiorem deducere, ita, vt ad reuelationem diuinam prouocare non ſit opus. At enim vero nobis Chriſtianis Philoſophis non licet ſilentio praeterire genuinum fundamentum huius dominii, praecipue ideo, quia facile ſe eiusmodi caſus offerre poſſunt circa vſum harum creaturarum, vt, niſi expreſſa lex diuina in ſubſidium vocetur, vix conſcientiae ſcrupuli omnes tollantur.

Digitized by Google

§. IV.

In ſtatu ante lapſum conſiſtebat non ſolum *in iure ac poteſtate* hominis in beſtias, ſed etiam *in vi ac potentia* flectendi ea ad obſequium, ut adeo recte *pars* imaginis divinae ſeu *appendix & conſequens* a Theologis dicatur.

§. V.

In ſtatu poſt lapſum χρῆσις eius vehementer eſt diminuta, licet κτῆσις ob repetitam dominii conceſſionem adhuc duret, & non meram utendi facultatem *b*), ſed ipſam rerum huius univerſi proprietatem donationis titulo conceſſam deſignet.

§. VI.

Durare autem poſt lapſum, ex eius confirmatione Noachitis poſt diluuium facta Geneſ. IX, 3. patet, quae repetita conceſſio diuina *Iuris* noſtri ſiue *dominii*, *poteſtatis*, *Imperii* (quouis enim horum nominum per nos vtaris licet) fundamentum atque principium eſt.

§. VII.

Finis proprius huius dominii poſt lapſum eſt, vt homo brutis vtatur ad ſui *conſeruationem*, *commo-*

b) Licet magnus GROTIVS Deum humano generi generaliter contuliſſe ius in res inferioris naturae aſſerat; illud tamen ad ſolum vſum excluſa omni proprietate reſtringit, Lib II. de I. B. & P. c. II.

Digitized by Google

commoditatem & aliqualem eamque licitam *oble-ctationem*, quo miſeriis humanis DEVS clementiſſime proſpexit.

§. VIII.

Ad ſui *conſeruationem* opus habet homo animalibus, vt ſuae nuditati veſtimenta, fragilitati medicinam, eſuriei menſam &c. praepararet.

§. IX.

Ad ſui *commoditatem* iumentorum opera vtitur in portandis & vehendis iter facientibus, trahendis oneribus, in proſcindenda & effringenda terra, & quae his ſunt ſimilia.

§. X.

Ad ſui *oblectationem* denique data ſunt, vt animalia omnis generis, alia in ſicco ſolidoque, alia in humido innaſcentia, alia per ſublime demiſſa miretur, iisque ſe delectet. *c)*

§. XI.

Secundum triplicem huncce finem licet hominibus noxia animalia aut domare, ſi poſſunt, iisque viuis vti ad oblectationem, aut interficere & ad ſuos vſus adhibere.

§. XII.

Sic etiam perſecutio ferarum recte inſtituta, eſus carnium, caſtigatio, coactio per vim, extir-

c) Egregie hoc obſeruat SENECA Lib. IV. de benef. c. V. CICERO Lib. I. de LL.

Digitized by Google

patio luporum in Anglia &c. in ſtatu corrupto obtinent.

§. XIII.

Ex hactenus dictis duo formabimus axiomata. Primum erit affirmatiuum : *Quicquid licuit homini in ſtatu ante lapſum & vſurpatione huius iuris in ſtatu corrupto non pugnat cum primaeua hominis rectitudine , illud licet homini in ſtatu poſt lapſum et ſecundum I. N. licitum eſt. d)*

§. XIV.

Huic reſpondet alterum negatiuum : *Quicquid non licuit homini in ſtatu ante lapſum et vſurpatione huius iuris in ſtatu corrupto pugnat cum primaeua rectitudine hominis , illud non licet in ſtatu poſt lapſum et I. N. vetitum eſt.*

§. XV.

Subſumo ex hoc negatiuo axiomate : Ergo non licet & cum primaeua rectitudine hominis pugnat bruta innoxia ex petulantia vel ſaeuitia verberibus afficere , neceſſaria alimenta iis ſubtrahere , mere oblectationis gratia certaminibus cum aliis beſtiis , praecipue ſi fiat periculo vitae, exponere , plus oneris imponere , quam ferre poſ-

d) Varia ex hoc affirmatiuo ſubſumi potuiſſent axiomate , ſed cum ad praeſens negotium nihil faciant, ſtudio omittebantur.

Digitized by Google

poſſunt, crudeliſſime omni tempore & loco interficere, multo minus pro lubitu, quocunque etiam id fiat modo, corpora eorum mutilare.

§. XVI.

Ex his omnibus improbandam mihi ſumo AMPVTATIONEM AVRIVM IN CANIBVS TOTIES OBSERVATAM, quae aperte limites conceſſi dominii excedit, & legibus naturalibus cuique homini inditis aduerſatur. *e)*

§. XVII.

Ad naturam huius dominii quod attinet ex praemiſſis iam cognoſci poteſt, illud non eſſe *abſolutum*, quod ſoli DEO rerum omnium Domino eminentiſſimo competit, ſed *finitum*, *dependens*, *ſubordinatum* ac *certis limitibus circumſcriptum*, ita vt brutis vtamur non abutamur. *f)*

§. XVIII.

e) In cathedra Philoſophica conſtitutus leges diuinas poſitiuas, quae curam & obſeruationem animalium commendant, & temerariam eorum laeſionem quouis modo prohibent, adducere nolui. Quanquam ideo non negem, quod recte etiam ex illis praecepta Iuris Naturalis illuſtrari & ad ſpeciales caſus, argumentando ſcil. a minori ad maius determinari poſſint,

f) Conſentit mecum Illuſtris PVF. *Elem. Juriſpr. Vniu. L. I. def.* 5. §. 3. *Iſta*, inquit, *conceſſio dominii in animantia an infinitam homini poteſtatem largiatur, ita, vt iſta ad vſus non neceſſarios occidere* (addo mutilare) *poſſit ex ipſa natura dominii non ſatis apparet. Nec enim hodie licentiam*

Digitized by Google

§. XVIII.

Licet enim conceſſerit DEVS hominibus dominium in bruta, non ita tamen tranſiit hoc ius in homines, vt nullum remanſerit in donatore, quemadmodum inter mortales fieri ſolet.

§. XIX.

Adminiſtremus igitur hoc dominium, vt DEO tanquam Domino feudi, rationem quando eam expoſcet reddere valeamus.

§. XX.

Quod ſi enim Domino erga ſeruum *g*) etiam mancipium, & Regi erga ſibi ſubiectos, ſua aſſignata ſunt officia; hoc certe a DEO dependens dominium in bruta ſuis non carebit limitibus, quos ſi tranſilierit homo, non poterit non DEI offenſam poenamque incurrere.

§. XXI.

Sunt autem limites iſti 1) BRVTORVM CONSERVATIO, 2) & AD SVOS NOSTROSQVE FINES DIRECTIO.

§. XXI.

tiam impune & pro libidine necandi (mutilandi) *inuoluit &c.* Et LESSIVS de Iuſtitia & Iure dicit L. II. c. IX. Dubit I p. 87. *Quamuis liceat animantia occidere, abſtinendum tamen eſt a crudelitate, ne ſine cauſa doloribus conficiantur.*

g) Sunt verba B. OMEISII Diſſ. de Officiis brutorum p. 11. §. VII.

Digitized by Google

§. XXII.

BRVTORVM CONSERVATIO homini neutiquam ius ſiue libertatem competere docet pro ſuo lubitu laedendi, deſtruendi & perdendi naturam brutorum, ſed potius vt illius ſolicitam curam habeat, ſuadet.

§. XXIII.

Peccant igitur omnes illi contra brutorum conſervationem, qui citra neceſſitatem & ex mera petulantia & oblectatione corpora brutorum laedunt, corrumpunt & deſtruunt. Quomodo quæſo naturam brutorum conſervabis, ſi ea iis inferri patiaris aut ipſe inferas, quae non ſine maximo dolore & ſaepius periculo mortis ſuſtinere queunt?

§. XXIV.

DIRECTIO BRVTORVM AD SVOS FINES quoque ex natura dominii fluit. Quemadmodum enim DEVS omnes creaturas ad certos fines creauit, & perpetuo ad eosdem illas dirigit; ita vult, vt finis a DEO intentus ab homine quoque intendatur. Conceſſo enim dominio ſimul obligationem impoſuit creaturas ad eosdem fines flectendi.

§. XXV.

Secus autem agit homo, ſi e. g. per amputationem aurium ordinem a DEO conſtitutum

Digitized by Google

malitioſe inuertit, naturam brutorum mutat, & finem praefixum non melius obſeruat.

§. XXVI.

Fines multarum rerum nobis ſunt incogniti, non tamen omnium rerum fines ignorantur, ſuntque vel *generales* vel *ſpeciales*.

§. XXVII.

Finis generalis aurium eſt, vt canes audiant; *ſpecialis*, vt ſua longitudine & muſculorum valde flexilium mobilitate muſcas & alia animalia noxia a corpore abigant.

§. XXVIII.

Neuter finis per amputationem obtinetur. Licet enim canes abſciſſis auribus audiant, non tamen adeo bene audiunt, quia motus ſonori propter auriculae defectum non ita excipiuntur.

§. XXIX.

Auricula externa ita conſtructa eſt, vt motus ſonoros colligat & ad meatum auditorium dirigat.

§. XXX.

Probatur hoc 1) quoniam abſciſſa auricula ſoni vix diſtincte percipiuntur, 2) quia in ſurdaſtris machinae acuſticae & polyphonicae auribus applicatae hebetudinem auditus notabiliter emendant.

§. XXXI.

Digitized by Google

§. XXXI.

Accedit porro, quod aer externus ambiens vel ſoni vehementiores tympanum laedant & ſaepius auditum canum plane deſtruant. Haecque ratio eſt, cur canes ſonum campanarum aliorumque inſtrumentorum Muſicorum ferre nequeant, ſed vlulatu ingenti dolorem, quem inde percipiunt, indicent. *a*)

§. XXXII.

Neglecto hoc fine aurium generali negligitur alius, qui immediate inde fluit. Sine dubio enim a ſapientiſſimo creatore hunc in finem hominibus ſunt dati, vt nocturno tempore homines cuſtodiant, & fures ob acutum, quem habent, auditus ſenſum prodant.

§. XXXIII.

Priuantur vero etiam canes abſciſſis auribus fine ſpeciali. Nam licet pedibus vel motu capitis muſcas aeque ac auribus abigere poſſint, fit tamen hoc non ſine difficultate & moleſtia eorum,

a) Si nobis obiicitur, facere eadem canes cum auribus, reſpondemus, non vnam eandemque eſſe diſpoſitionem aurium in omnibus indiuiduis. Quibus enim per motum tremulum aeris tympanum fortius verberatur, illi acriorem habent ſenſationem. Quae ſine dubio maior adhuc futura, ſi etiam externa auricula priuarentur.

Digitized by Google

rum, nec temere mutandum eſt, quod DEVS ipſe ad certum finem deſtinauit.

§. XXXIV.

DIRECTIO BRVTORVM AD NOSTROS FINES iubet, vt iis vtamur ad indigentiam, conſeruationem, commoditatem, & ad augendam & perficiendam noſtram rerum naturalium & ipſius conditoris cognitionem. Dicat vero mihi aliquis, an vnicum ex his omnibus per amputationem aurium obtineatur? *b*)

§. XXXV.

Aduerſatur porro abſciſſio aurium OFFICIIS *c*), quae ipſo Iure Naturae brutis debemus.

§. XXXVI.

b) Diſputatur hactenus vltro citroque: *an propter hominem condita ſint omnia?* CARDANVS *Lib. XI. de Subtilitate p.* 621 plane negat, ſtatuens, *quoduis propter ſe eſſe creatum.* B. STVRMIVS *Phyſ. Concil. Part. gen. c. I. §.* 5. *an huc vnice & praecipue tendant, non liquere* ait. Ego pro mea tenuitate non dubito cum multis Theologis praeſtantiſſimis aſſerere, propter hominem & ad vtilitatem hominis omnia eſſe condita. Vid. BECHMAN. *Not. Vber. in Hutt. Loco IV. de Creatione Qv. 6. p.* 110. BAIERVS *in Comp. Theol. Poſit. P. I. c. II. de Creatione §.* 23. *n.* 6. *p.* 277.

c) Magna hactenus inter eruditos fuit controuerſia: *an brutis debeantur officia? Negant* quaeſtionem Illuſtris THOMASIVS *in Iuriſprud. div. L. I. c. IV. §.* 77. quem ſequitur S. R. Dn. BVDDEVS *in Elem. Philoſ. pract. P. II. c. IV. Sect. I.*

Digitized by Google

§. XXXVI.

Sunt iſta officia huc ſpectantia duplicis generis. Alia conſiſtunt *in actibus Intellectus*, alia *in actibus Voluntatis*, alia *in actibus externis circa bruta occupari ſolitis.*

Sect. I. §. 25. p. 251. & in Theol. moral. P. II. cap. II. §. 56. p. 494. HOCHSTETTER. *Collegio Puf. p.* 174. GVNDLING. *in via ad verit. I. N.* Contra *affirmant* SCHILTERVS *in Manuductione Philoſ. mor. ad Iurispr. c. I. p.* 34. IVST. CHRIST. SCHOMERVS *in Theol. mor. c.* 18. BECMANNVS *in lineis doctrinae mor. c.* 16. IOH. GOTTL. HARTHIVS *in diſp. de officio hominis circa res humana ſorte non comprehenſas, Lipſ.* 1698. SCHLEVOGT *in diſſ. de domin. hominis in res ſublunares c. III.* M. MATTH. MECKE *diſſ. de officio hominis erga naturam inferiorem, Ienae* 1693. B. OMEISIVS *de officiis erga bruta, Altd.* 1702. aliique plures. Si modeſte dicam, quid mihi videatur de hac controuerſia, magis in verbis quam re ipſa lis eſt. Hoc enim lubentiſſime concedo, non pactum expreſſum inter nos & bruta intercedere, cuius vi teneamur praeſtare illis officia, interim tamen ſunt obiectum circa quod officia DEO debita exhibere fas eſt. Hoc optime obſeruauit IM. PROELEIVS in den Grund-Sätzen des Rechts der Natur p. 83. §. XV. Wenn dieſes gewiß iſt/ daran man keine Urſache zu zweifeln hat/ ſo kan keines weges geleugnet werden/ daß die Beſtien einiges Recht von uns zu fordern haben/ und daß wir hingegen ihnen einige Pflicht zu leiſten ſchuldig ſind. Nicht zwar als wenn ſie ein pactum expreſſum mit uns gemacht hätten/ ſondern weil GOtt den Menſchen gewiſſe Geſetze durch die Vernunfft vorgeſchrieben hat/ welche ſie gegen die Beſtien

Digitized by Google

§. XXXVII.

Ad *Intellectum* pertinet CONTEMPLATIO, quae eſt actus Intellectus, quo homo admirandam ſtructuram, varietatem, pulchritudinem, συμμετρίαν ac proportionem ſingularem animalium, *nec non aptiſſimam membrorum ad ſuos fines diſpoſitionem* conſiderat, DEVMque tanti operis conditorem inde cognoſcit & celebrat.

§. XXXVIII.

Omittitur haec contemplatio, vel certe minus recte inſtituitur, ſi homines merae oblectationis gratia, damit der Hund ihrer Einbildung nach ihnen beſſer gefalle/ per amputationem aurium canem, vtpote *perfectiſſime creatum*, perfectiorem

Beſtien in acht nehmen müſſen. Gleichwie auch die Menſchen/ was die allgemeinen Pflichten betrifft / kein pactum expreſſum miteinander gemacht haben/ welche ſie aber dennoch in acht zu nehmen verbunden ſind / ob ſie gleich niemals einander geſehen/ oder miteinander geredet haben/ weil dieſe Regeln der Gerechtigkeit von GOtt in die Natur gelegt ſind / welcher ſie einem jeden vernünfftigen Menſchen durch das Licht des Verſtandes zu erkennen giebet/ und wer wider ſelbige handelt / handelt zugleich wider das Recht der Natur. Conf. etiam S. R. GVST. PHIL. MÖRL, Antiſtitis ad D. Laurentii & Prof. P. celeberrimi, Patroni noſtri valde colendi, *Philoſ. moralis in Tabulis P. III. Sect. III. lit. t.* Liceat itaque mihi cum affirmantibus vti vocabulo officii, dum re ipſa negantibus non contradico.

Digitized by Google

ctiorem quaſi reddere, ſicque opus diuinum, quo ipſe DEVS delectatur *d)*, perverſo certe conſilio reformare conantur.

§. XXXIX.

Ad officia, quae *a voluntate* pendent, pertinet *brutorum amor e)*, qui eſt actus Voluntatis, quo haec erga bruta propter perfectiones ipſorum & vtilitates varias propendet, in illa appetendo fertur, iis vti fruique deſiderat, eorumque indigentiae quantum licet, explendae ſtudet.

§. XL.

Intelligitur vero hic non ſolum *amor complacentiae*, per quem res ob ſingulares perfectiones non poteſt non nobis placere; nec tantum *concupiſcentiae*, qua ob inſignem commoditatem & oblectationem iis fruendi deſiderio homo accenditur; ſed & *amor benevolentiae*, qua quae alteri bona ſtudemus efficere.

§. XLI.

Aduerſatur autem amputatio aurium *amori complacentiae*, quia canis cum auribus, non ita nobis placet, ac ſi iis priuatur; 2) *amori concupiſcen-*

d) Geneſ. I. v. vlt. legitur: tunc inſpexit DEVS quicquid fecerat, & erat bonum valde, טוֹב מְאֹד h. e. optimum.

e) Vocatur alias θηρεφιλία, de qua Diſſ. conſcripſit M. Gottfr. Springer Lipſ. 1688. conf. Omeiſii diſſ. l. c.

piſcentiae, quia factum hoc neque veram noſtram commoditatem, neque vtilitatem promouet; 3) *amori beneuolentiae*, cum omnis mutilatio, praecipue cum variis cruciatibus coniuncta, crudelitatem magis, quam beneuolentiae teſtificationem ſpirare videatur.

§. XLII.

Sicuti vero porro haec officia *circa actiones externas erga bruta* verſantur, ne ſcil. plus oneris iis imponatur, quam ferre poſſunt; ita manifeſte iſta officia violantur priuatione aurium.

§. XLIII.

Si denique recta ratio in iudicando & praecipiendo ſequitur naturam rerum, ſane ſi contra naturam brutorum agimus, rationalem actum non videbimur peregiſſe.

§. XLIV.

Eſſe vero amputationem aurium contra naturam animalium, cum variis probari poſſet rationibus, ex hac vnica tamen ſatis patet, quod quidem canes abſciſſis auribus generant, nec tamen ſine auribus catellos pariunt, ſed potius naturae ſuae conformes, h. e. auribus praeditos.

§. XLV.

Si teſte Pufendorfio Athenienſes ab eo, qui viuo arieti pellem detraxerat, & Lacedaemonii ab

Digitized by Google

ab illo, qui coturnicibus oculos eruens, poſt eas dimittebat, poenas exegerunt, certe nec illi culpa vacant, qui id, quod DEVS ad ornatum & vtilitatem canibus dedit, inutiliter perdunt ac deſtruunt.

§. XLVI.

Diſtinguimus vero inter illos, qui hactenus ex ignorantia, licet vincibili, brutorum corpora mutilarunt; & illos, qui agnita veritate hoc fecerunt & adhuc faciunt.

§. XLVII.

Neque magni momenti ſunt rationes Venatorum & Lanionum *f)*, quibus aurium & caudarum amputationem neceſſariam omnino eſſe evincere ſtudent.

§. XLVIII.

Sicuti vero hactenus omnem mutilationem beſtiarum, quae non vſum certum, ſed ſaltem imaginariam oblectationem pro fine habet, illicitam pronunciauimus, idque ſpeciatim in cane auribus priuato demonſtrauimus; ita liceat nobis exemplum mutilationis beſtiarum proferre, quae maxime licita eſt, ſimulque, quibus cancellis in diiudicandis eiusmodi factis nos contineamus, docet.

f) Faciunt certe hoc ex praeiudicio aliquo, quod in prima educatione illis implantatur, quaſi non ad praefixum finem vti poſſint canibus, niſi prius eiusmodi ſectioni fuerint ſubiecti.

Digitized by Google

§. XLIX.

Eſt hoc vulgo dicta *caſtratio brutorum*, quam commendant *neceſſitas*, *vtilitas* & *ipſa brutorum propagatio.*

§. L.

Neceſſitas caſtrationis inde patet, quia saepius dantur equi, boues & alia, quae niſi caſtrentur, vix domari poſſunt.

§. LI.

Vtilitas ex eo apparet, quia ad cibandum per caſtrationem eiusmodi animalia aptiora redduntur. Sic capus mollior gallo gallinaceo, veruex melior ariete vel haedo &c.

§. LII.

Ipſa denique generis ſui propagatio in brutis per caſtrationem non impeditur, ſed magis promouetur. Id quod omnes ii facile mihi concedent, qui diuerſam ſeminis commixtionem generationi nocere plus vice ſimplici obſeruarunt. *g*)

§. LIII.

g) Legi hac occaſione poſſunt, quae erudite admodum obſeruauit IOHANNES GRAVNT in libello hoc titulo in vernaculam noſtram translato: Natürl. und Politiſche Anmerckungen über die Todten-Zettul der Stadt London/ Lipſ. 1702. in 8. ex quo, cum non in omnium manibus ſit, ſequentia apponam. Pag. 60 ita diſſerit: Wann man aus der Erfahrung weiß/ daß zu vielen Schafen (ich will ſetzen

Digitized by Google

§. LIII.

Pertinet huc, quod relatum accepi a Viro magnae autoritatis atque nominis, antiquos Germanos in bello praecipue caudatis vſos fuiſſe equis. Quae amputatio ideo facta, vt ſpina dorſi fir.nior & planior redderetur. Hinc non videtur penitus reiicienda, & hanc ob cauſam ab Anglis forſitan ad hunc vsque diem continuata.

ſetzen zu zwantzigen/) ein Hammel genug ſey; ſo können wir wiſſen/ wie viel Lämmer mäñliches Geſchlechts müſſen geſchnitten werden / nemlich neunzehen. Dann ſo ihrer weniger verſchnitten würden/zum Exempel nur zehen/ ſo würde/ wann ein jeder dieſer zehen Hämmel durcheinander 2. Schafe beſprüngen/ dadurch die Vermehrung dieſes Viehes in ſo weit/ als durch Zulaſſung zweyer Hämmel geſchehen kan/verhindert werden: wenn man aber gar keines von obgeſagten Lämmern ſchneiden ſollte/ ſo iſt höchſtwahrſcheinlich/ daß/ wann ein jeder von dieſen 20 Hämmeln ein jedes von den 20 Schafen beſprünge/ nur ſehr wenige/ oder wohl gar kein einziges unter denſelben würde tragend werden. Und dieſes/ glaube ich/ ſeye die wahre Urſach/ warum die Füchſe/ Wölffe und andere ſchädliche Thiere ſich nicht ſo ſehr vermehren als die Schafe: da doch dieſer täglich ſo viel 1000 geſchlachtet werden/ und von jenen ſehr wenige anders als vor ſich ſelbſt ſterben. So folgt dann/ pergit p. 64. §. 11, daß das Verſchneiden ſo wohl zu der Vermehrung als zu der Verbeſſerung des Fleiſches derjenigen Thiere/ die verſchnitten werden/ diene.

Digitized by Google

§. LIV.

Quapropter in his & ſimilibus caſibus fir eſt reſpiciendus & probe ponderandus. V ceſſat hominis conſeruatio aut commoditas, a licita oblectatio, vi §phi VII, VIII, IX & X, i nulla amputatio probanda venit. Si vero v vnica praegnans ex his ratio poterit afferri, dominii a DEO conceſſi, quaeuis tolerari po rit amputatio.

§. LV.

Finem facio verbis Dn. Schleuogti l. c. Ill dubio caret, ius non infinitum homini in bru conceſſum, ſed reſtrictum eſſe certis modis, vl quos qui progreditur, *iniuriam h*) *facere bru cenſetur, DEVMque legislatorem offendit.* Fa DEVS Dominus rerum omnium eminenti mus, vt qualeſcunque meditationes noſtrae ci mutilationem brutorum inſtitutae propoſitu obtineant finem.

h) Licet ſtricte loquendo *in bruta non cadat iniuria*, pro abſentiam Iuris communis ac ſocietatis homines inte bruta; Interim tamen voce *iniuriae* latius accepta, tenus generaliter dicitur, quicquid non iure fit, ut ac tur *Lib. IV. Inſtit. Tit.* 4. *in princip.* recte dici poterit iniuriam laedi N. I. ſi temere illa laedatur. Quod ſi malis *iniuſtitiam* vocare quam iniuriam, quod iuſtitiae pugnet, quae vti cuique, ſic & beſtiis, ſuum eſſe trib dum dictitat, per nos licebit. In verbis ſumus faciles, n re ipſa conſentiamus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google